



## **Consilia Seu Responsa Juris**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL**

Cons. X. Stipendii Pro Missis. Improbatur Zelus Parochi, qui Pecunias, pro Celebratione Missarum collatas, in Bonum Ecclesiæ as Census elocavit,  
ac insunuatur, quomodo multitudini Stipendia pro Missis ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](http://urn.nbn.de/hbz:466:1-72287)

## CONSILIUM IX. PRÆSENTATIONIS.

56

qua Clericus minor 25. annis, major tamen 14. in Beneficialibus, & aliis Causis spiritualibus, & ab his dependentibus, habetur pro majore.

*C. fin. de judic. in 6.*

Hinc pro hujusmodi Causis in Judicio stare, & tum in hoc, tum extra illud exercere actus omnes sine Curatore potest, sicut major 25. annis. Neque obest, quod Renuntiatio hæc fuerit obtenta, ut præfertur, fraude, vel dolo; nam etiam ita obtenta, nisi dolus versetur circa substantiam (quod tamen in Causa nostra factum non est) mero Jure est valida, quamvis rescindenda.

*Flamin. l. 13. de resign. q. 3. a. n. 1. Val-  
len. de Benef. l. 3. tit. 14. n. 1. & seqq.*

*Wiesn. de renunt. n. 5. & alii passim.*

Quod vero locus sit in integrum Restitutioni, patet: quia restitutio in integrum minoribus laesis generaliter concessa est à Jure.

*C. constitutus. 8. de in integr. Restit. & l.  
hoc editum. 1. & seqq. ff. de minor,*

Et ab hac regula Resignatio Beneficiorum nusquam est excepta. Proceditque hoc, et si res non amplius esset integra, & Beneficium ita dimissum alteri jam collatum; quia Minoribus beneficium hoc conceditur, quounque contractu, vel actu laesi sunt, etiam res distracta, & in alium translata sit.

*L. si ex causa. 9. princ. & l. si res pupillaris  
49. ff. de minor.*

Igitur etiam quando Beneficium Ecclesiasticum, vel Ius ad illud, per Resignationis viam dicmissum, & in alium translatum est: ergo &c.

### QUÆRITUR V.

*An recte petitum sit Sequestrum  
fructuum Beneficii, lite pendente  
currentium?*

31. **R** Esp. Affirmative, si periculum aliquod subsit, ne fructus isti interea consuman-

tur; quia melius est ante tempus occurtere, quam post vulneratam causam remedium querere.

*L. fin. C. in quib. caus. in integr. Restit. ne-  
cess. non est.*

Debet tamen periculum Judici probari: quia Sequestratio decerni solum potest, quando justa causa hanc exigit: causa autem justa non presumitur, sed probari debet.

*Vid. Vultejus l. 2. Jurispr. Rom. c. 30.*

*§. 6. in fin. Mynsing. cent. 2. observ.*

*II. n. 4. Sabell. Sum. §. Sequestrum.*

*n. 2. Harpprecht in §. præterea. 3. Inst.*

*quib. mod. re contrah. oblig. n. 136.*

Nullo autem modo fructus isti tradi possunt Praesentato; tum quia nondum in Beneficio institutus est; tum quia lis pendet; & ea penderite nihil est innovandum, sed omnino in statu, in quo res prius erat, cum lis moveretur, ea est conservanda, prout constat tum ex textibus, tum ex Rubrica, ut lite pendente nihil innovetur; quæ cum orationem perfectam contineat, Jus inducit, & in Causarum Decisione allegari pro lege potest, prout ex recepta Jurisperitorum Doctrina docent

*Oswaldus ad Donell. l. 26. comment. c.  
2. Lit. A. Gottofred. in l. 1. ff. de  
reb. credit. Lit. F. Gonz. in c. fin.  
Rubr. cit. n. 4. Canil. tit. eod. n. 1.  
König ibid. n. 1. Wiest. n. 1.*

Ita salvo meliori &c.

**NOMINE FACULTATIS JURIDICA  
DILINGANÆ.**



## CONSILIO X.

### De Elocatione in Censu, facta ex Stipendiis in Celebrationem Missarum collatis, & de Missis mature celebrandis.

#### SUMMARIUM.

1. Et seqq. Facti Species:
6. Prohibita sunt Reductiones onerum de Missis celebrandis.
7. Tot Missa celebranda, pro quo celebrandis oblatum est Stipendium, est exiguum.
8. Sacerdos alteri Missam celebrandam committens, nihil de suscepto Stipendio sibi retinere potest.
9. Pecunia, vel Bona mobilia cum onere perpetuo celebrandi Missas oblatâ, quamprimum investienda sunt Bonis immobilibus fructiferis.
10. Onera perpetua celebrandi Missas non suscipienda sine Superioris licentia, in scriptis obtenta.
11. Nova onera celebrandi Missas non suscipienda, nisi antea impositis satisfactum fuerit, vel satisficeri possit.

12. In

## CONSLIUM X. STIPENDII PRO MISSIS.

57

12. In casu substrato male elocata sunt pecunia in census.
13. 14. 15. Possunt nihilominus elocari servatis tribus Conditionibus.
16. Modus tot legendi Sacra, quo legerentur, si pecunia ad census non fuissent elocata.
17. 18. Praesumitur consensu offerentium Stipendia in Dilationem Missarum ad plures annos.
19. Offerentes censem petere, ut Missa sibi, aut iis, pro quibus Sacra legi curant, applicentur.
20. Sufficit majoris partis Consensus in Dilatationem. Qui non moniti de Dilatatione Missarum, Stipendia prius obtulerint, eorum intentioni satisfaciendum, quamprimum fieri potest.
21. In praesenti Casu præsumi potest singularum Consensus in Dilatationem non longissimam.
22. Peccat graviter Clericus, & tenetur ad Restitutionem Stipendii, qui absque legitima causa Missas diu differt.
23. Si legi nequeant Missa in loco constituto,

### FACTI SPECIES.

**I.**



Nte sex annos suum sumpsit exordium per celebris p.t. peregrinatio quadam B. V. M. & magna indies haec tenus habuit incrementa; caput enim nimirum clarecere non tam quotidianis ferme, ut communis vox, & fama ferunt, gratias à Thammaturga Virgine benignissime collatis, quam ingenti peregrinantum, undique turmatim affluentium concursu.

**2.**

Et quandoquidem peregrinantes pro sua singuli devotione, & facultatibus, non solum largas oblationes faciunt, sed oblatio etiam pinguiori nonnunquam Stipendio Missas constituunt, ad gratiosam Virginis Iconem legendas, in tanto numero, ut Stipendia hodie offerentibus non nisi post aliquot annos satisfieri possit; ideo Parochus loci, ac Procurator, prævio communi consilio, & consensu statuerunt Missarum Stipendia pro anno censu elocare, ex quo deinde Missæ quotidianæ à residentibus Clericis (horum sex, vel septem, plures, vel pauciores pro varietate temporum numerantur, qui ex istis Votivis majorem congruæ suæ partem habent) legi possent, existimantes, se hac ratione & offerentium intentioni satisfacturos, & peregrinationis incrementa notabiliter promotores.

**3.**

Posteaquam verò ejusmodi praxis in Curia Episcopali innotuit, plerisque visum est, eam ex multis capitibus approbari non posse. Non fuit tamen desuper aliquid decretum, sed jussus est Dominus Parochus, in loco peregrinationis residens, scriptotenus referre, an, & qualiter instruantur offerentes Stipendia pro Missis votivis ad Virginis Iconem legendis, & quibus verbis isti exprimete, &

R. P. Schmalzgrueber Conf. Tom. I.

- debent legi alibi cum Consensu Ordinarii
24. In Casu praesenti non videntur reluenda pecunia in census elocata, ut nec integrum Stipendium, si justè sit majus, Sacrificantibus dandum.
25. Sufficit in Casu positio peregrinantes, dum Stipendia offerunt, monere, eorum intentioni ordine temporis, quo data sunt, satisfactum iri.
26. Consultum est, ut Auctoritate Ordinarii programmate ad valvas Ecclesie affixo, declaratio fiat, quomodo, & qua intentione legantur Sacra.
27. Parochus onera Missarum perpetua suscipiens absque Auctoritate Ordinarii, excusatatur à pena Interdicti ob bonam fidem.
28. Sacra constituta pro speciale necessitatem habentibus, vel statim legenda sunt, si fieri possit absque præjudicio aliorum offerentium, vel non sunt admittenda.
29. Proponitur medium, quo utrisque, tam speciale necessitatem habentibus, quam ceteris offerentibus suo modo satisfieri possit.

explicare soleant suam intentionem? Hic rescriptis sequentia formalia.

Missæ votivæ leguntur secundum Ordinem Stipendia offereantur. Si verò pro speciatim in necessitate constitutis, pro infirmo, pro paritatis, pro periclitantibus, pro defunctis constituantur, absolvuntur statim, prout fieri potest. Offerentes Stipendia non tantum à Fratre laico, qui omnia suscepit diligenter notat, instruuntur, oblatas pecunias ideo elocari, ut in hoc loco B. V. perpetuis Missis coli possit; & sic fieri offerentes hujus peregrinationis Benefactores, imò ex parte Fundatores: Sed hoc idem ego semel, aut iterum in majori peregrinantum concurso publicè explicavi, ne essent solliciti, etiamsi post longum tempus ab illis constitutæ Missæ dici non possent, nihilominus oblationem eorum DEO, & B. V. fore acceptabilem. Quod tali modo plerique consenserint, ex hoc animadvertisimus; cum saepius uno die 30. 40. etiam plures Floreni pro Missis portrecti essent. Interrogati, qua intentione hæc facerent? Responderunt simpliciter: Der heiligen Mutter Gottes zu Ehren, und Ausnam dieser heiligen Wallfahrt: wir wissen nicht, ob wir auch wieder althero kommen können oder nicht.

Considerata hac Facti Specie, suppositoque contractu minimè usurario, sed SS. Canonibus conformi, qualiter per Elocutionis vocem in hac Facti Specie satis impropriè sumptum intelligimus, & deinceps intellectum volumus, circa præcipuum Difficultatem

### QUÆRITUR I.

*Quid sentiendum sit de Elocutione pecuniarum facta ex Stipendiis collatis in celebrationem Missarum?*

Dubio occasionem faciunt Decreta S. Congregationis Concilii auctoritate Urban:

H

4.

5.

58 CONSILIU M X. STIPENDII PRO MISSIS.

Urbani VIII. 21. Junii 1625. edita: Quæ cum Declarationibus postea superadditis videri præsumunt

In Cherubini *Bullario Tom. 4. Constat.*  
45. Urbani VII. quæ incipit: Cùm Iapè  
contingat &c. eadem refert Tamburin.  
de Sacrif. Miss. Libr. 3. c. 1. §. 1. n. 7.  
& seqq. Reiffenst. in Libr. 3. Decre-  
tal. tit. 41. de Celebr. Miss. n. 30.

conformiter ad hæc Decreta in proposita  
Quætionis resolutionem

6. Advertendum est, mente S. Congre-  
gationis in his suis Decretis fuisse. 1. Ut  
prohibeat fieri reductiones onerum de  
Missis celebrandis, easque declarat inva-  
lidas fore, nisi Apostolicæ Sedis Au-  
toritate fiant; ad quam recurrir vult, ut Ipsa  
de his oneribus reducendis, moderandis, aut  
commutandis statuat. Quia in re, quid ex  
antiqua confuetudine in Diæcisi loci gratiosi  
liceat, novit Reverendissimus D. Vicarius Ge-  
neralis.

7. 2. Ut tot Missæ celebrentur, pro quo  
Missis celebrandis est oblatum Stipendium,  
etsi istud incongruum, & exiguum esset: le-  
cūs si fieret, declarat eadem S. Congregatio,  
suscipientes oblatu Stipendia non satisfactu-  
ros obligationi suæ, & ad Restitutionem te-  
nere. Ita eadem S. Congregatio. In quem  
finem revocat Privilegia, & Indulta ornatia,  
quibuscumque personis, communitatibus,  
aut locis concessa, quibus indulgetur, ut  
certarum Missarum, aut anniversari &c. ce-  
lebratione satisfiat oneri plurium Missarum  
suscepto.

8. 3. Prohibet, ne Sacerdos, qui Missam  
celebrandam suscepit cum certa eleemosyna,  
eandem alteri committat, retenta sibi parte  
ejusdem eleemosynæ.

Idipsum inter prohibitas retulit A-  
lexander VII. in Decret. edito 24. Sept.  
1665.

9. 4. Vult, ut pecunia, & bona mobilia  
locis Sacris, aut eorundem personis oblatu,  
aut in futurum offerenda, cum onere perpe-  
tuo Missarum celebrandarum, à die acqui-  
sitionis deponantur penes aðem Sacram, vel  
personam fide, & facultatibus idoneam, ad  
effectum illa, seu illorum pretium quamprimum  
investiendi in bonis immobilibus fru-  
ctiferis, cum expressa mentione oneris ei-  
dem annexi.

10. 5. Vetat, ne ejusmodi perpetua onera su-  
scipientur, à Secularibus quidem sine Epi-  
scopi, aut ejus Vicarii Generalis; à Regula-  
ribus vero sine Generalis, aut Provincialis li-  
centia in scriptis concedenda.

II. 6. Præcipit, non suscipendas eleemosy-  
nas & Stipendia pro Missis novis celebri-  
andas, nisi oneribus antea impôsitus ita satisfa-  
ctum fuerit, ut nova onera suscipi possint.  
Quem in finem injungit Episcopis, aut eo-  
rum Vicariis, Generali, aut Provinciali, ut,  
si requisiti fuerint pro licentia ad suscipienda

onera perpetua, inquirant diligenter, nec  
antea assensum præbeant, quām iis legitimē  
constiterit, Sacerdotes & novo oneri susci-  
piendo, & antiquo suscepere posse.

His notatis, ad dubium, & difficultatem

Resolvit  
Quæstio.

in Quæstione 1. Propositam unanimiſ fuit  
Sententia nostra, male egisse Dominum Pa-  
rochum, & Procuratores, dum non requi-  
sita Ordinarii licentia, & antequam ritè con-  
staret de offerentium mente, pecunias, in  
Stipendium pro Missis oblatas, elocavit ad  
cenſum annuum, idque ob duplicom maxi-  
mè rationem. 1. Quia sic (ut ipse fatetur  
in Specie Facti n. 4.) Ecclesiæ ſuæ imposuit  
onus Missarum perpetuum, quod ſuſcipi  
absque Ordinarii licentia in scriptis obtenta,  
prohibet S. Congregatio, ut ex Decreto re-  
tulimus Num. 10. Debuiffet igitur defuper  
inquirere facultatem Ordinarii, & non au-  
toritate propria pecunias oblatas in Stipe-  
ndium elocare pro cenſu. 2. Quia ſic elo-  
cando fecit, ut celebratio Missarum, pro  
quibus accepit Stipendia, differri debeat for-  
te præter intentionem offerentium ad diutif-  
simum tempus: quod iterum repugnat men-  
ti S. Congregationis, quæ, ut maturetur Exe-  
cutio intentionis offerentium Stipendia, id-  
circo in Decreto cit. præcipit, non ſuſcipi-  
endas eleemosynas, & Stipendia pro Missis  
novis celebrandis, niſi oneribus antea im-  
poſitus ita ſatisfactum fuerit, ut nova onera  
ſuſcipi poſſint: debuiffet itaque initio ſtatim  
super hoc inquiri voluntas Stipendia offeren-  
tium, & tum primū, cùm iſti consenſi-  
fent, oblatæ pecuniae, prævio conſenſu Or-  
dinarii, elocari in cenſum.

Dicitur in Responſione, antequam ritè con-  
ſtaret de offerentium mente. Nam explicata  
offerentium mente, ut in Specie Facti dicitur,  
elocatio pecunia postmodum facta, non vi-  
detur eſſe contraria menti S. Congregationis,  
ſi tamē ſervetur triplex limitatio. 1. Ut de  
hoc requiratur Consensus Ordinarii. Nam  
hic videtur omnino neceſſariuſ eſſe; cùm per  
elocationem ſuſcipiat onus perpetuum  
Missarum. 2. Ut nihilominus legantur tot  
Missæ, pro quo Missis legendis oblatum  
fuit Stipendium; nam ſi pauciores legeren-  
tur, fieret redūctio oneris, per Decretum  
cit. à S. Congregatione interdicta. 3. Ut  
tot legantur quotidie ad offerentium intentionem,  
quo Missa considerato Sacerdotum numero,  
& circumstantiis legi poſſent,  
ſi pecunia illæ elocata pro annuo cenſu non  
fuſſent: nam ſi pauciores post elocationem  
legerentur quotidie, elocatio foret contra  
intentionem offerentium, cui hiſ ſuis De-  
cretis S. Congregatio volet confuleret; in-  
tentio enim offerentium præsumi debet eſſe  
iſta, ut Missæ, pro quibus Stipendia obtu-  
lerent, legantur, quamprimum commode  
poſſunt.

Si ſervetur triplex hæc limitatio, eloca-  
tio iſtius pecunia facta tolerari poſteſt; ſic  
enim

13.

14.

enim nihil agitur contra intentionem offerentium: ergo nec contra Decreta S. Congregationis. *Conf.* patet: finis enim Decreto-rum istorum videtur fuisse, ut faveret Stipendia offerentibus, & horum intentionibus. *Ant.* ostenditur: nam servata hac tripli limitatione, per elocationem pecuniae istius in censum annum non minuantur, nec retardantur Missæ legendaræ, sed eodem ordine, numero, & tempore leguntur, quo ordine, numero, & tempore legerentur, si ad censem annum expensæ non fuissent: ergo postquam offerentes sic, ut in Specie Facti ponitur, explicarunt suam mentem, Elocatio facta non videtur esse contraria illorum intentioni, nisi simul sit contraria acceptatio tot stipendiorum pro Missis, quæ non nisi longo tempore legi possunt: atqui hæc acceptatio post mentem ab offerentibus sic explicatam, non amplius est contraria intentioni eorum; nam hoc ipso, quod, ut in Specie Facti ponitur, videant, tot quotidie posse celebrari Sacra, & non plura, sciunt, intentioni suæ satisficeri non posse, nisi post aliquot annos, & tamen Stipendia offerunt. Ergo sic offerendo videntur alia mente, & intentione non offerre, quam ut pro Stipendio à se dato, secundum ordinem temporis, quo obtulerunt, ad intentionem illorum legantur Sacra, quamprimum hoc commode fieri potest. Vident autem, commode fieri non posse, nisi post aliquot annos. Igitur sic offerendo consentiunt ad tale tempus.

15.

Confirmatur ex usu, & praxi in locis hujusmodi gratiosis consueta, qua acceptantur ab Aedituis, & locorum hujusmodi Praefectis plurima Stipendia, & offerentium intentiones in libros referuntur cum die, & anno, quo sunt oblatæ Stipendia, ac deinde inter offerentes servatur ordo temporis, & secundum hunc ordinem satisfit eorum intentionibus. Atqui hoc fieret etiam post pecuniam Elocationem ad Censem annum, ut ponitur: ergo &c.

16.

Quæres autem, quomodo fieri possit, ut post Elocationem pecunia istius tot numero quotidie legantur Sacra, quot legerentur, si ad Censem annum non fuissent elocatae, præsertim cum in Censi pro 100. ad Summum respondeant 5. Resp. Hoc facile fieri posse, cum singulis annis plura offerantur Stipendia, quam Sacra legi possint. Debent ergo partim ex Censi anno, partim ex Stipendiis recens oblatis exsolvi obligaciones antiquiores, cum recens offerentes Stipendia jam censeantur consenserit in dilatationem suæ intentionis.

Soluta Quæstione, & dubio principali, facilius est ad cætera Quæsita Responsio, pro quibus ea à nobis petitur.

R. P. Schmalzgrueber Confil. Tom. I.

## QUÆRITUR II.

*An offerentes Stipendia contenti esse videantur, si constituta ab ipsis Missæ non tantum ad modicum tempus, sed ad plures annos, & forte ad unius Seculi integræ decursum differant?*

17.

R Esp. Discrimen faciendum esse inter eos, qui primò obtulerunt Stipendia, antequam declararetur ipsis modus, quo Sacra, pro quibus obtulerunt Stipendia, legi solent, & possunt; & inter secundos, qui obtulerunt Stipendia post factam Declarationem. De his secundis non videtur tanta esse difficultas; quia facta Declaratione in Specie Facti posita, videntur consenserit in Dilatationem: differri igitur Executio intentionis eorumdem poterit ad tempus notabile, non tam ad integrum Seculum, sed ad tempus infra decennium saltem, vel aliud simile ab Ordinario determinandum secundum præximam, quæ in simili casu in aliis locis similiter gratiosis observatur. Excipiuntur tamen, qui Missas petunt ob specialem necessitatem, v.g. quia infirmi sunt, pariturae &c. aliqui in Specie Facti indicati, quorum intentio omnibus cæteris anteferri deberet, & quamprimum pro ea satisficeri, sine præjudicio tamen aliorum offerentium, de quibus Num. 28. Nam si etiam hi in communem cum ceteris ordinem redigerentur, Executio intentionis eorum differretur ad tempus inutile, quæ Executio in Jure habetur pro nulla, quia præter intentionem petentis, & ad finem intentum inutilis.

18.

De primis, qui Stipendia sua obtulerunt, antequam fieret ipsis sepius memorata Declaratione, major est difficultas; quia de horum intentione, & consensu in Dilatationem nihil expressè constat. Versamur igitur in terminis interpretationis intentionis illorum, & quæritur, qualis intentio in his prudenter præsumi possit? Optima præsumptio juxta communem regulam, est ab eo, quod plerique faciunt, maximè posteriores: posteriores offerentes autem, nisi specialem necessitatem prætendant, interrogati de intentione sua, pro fine primario videntur habere honorationem B. V. in tali loco: igitur cum etiam prius offerentes merito censeantur esse ejusdem pietatis cum posterioribus, nisi specialem intentionem expresserint, prudenter præsumi possunt, si interrogati fuissent, eundem sibi proposituros fuisse finem. Sed huic fini, & intentioni satisfit, modo servetur ordo inter Sacra petitæ secundum tempus oblati Stipendi. Existimamus ergo etiam horum intentionem benignè sic interpretari posse, ut Parochus, & Clerici in dicto loco gratioso residentes, satisfaciant eorum intentioni, modo inter hos prioritatem temporis observent, & Executionem,

tionem, ut diximus, non ad nimium tempus differant; nam ut iterum communis regula habet, qui facit secundum intentionem prudenter presumptam, non agit injuste: hoc fieret in isto casu. Ergo &c.

## QUÆRITUR III.

*An offerentes Stipendia pro Missis sub expressa illa superiori relata formula, videantur contenti esse quotidiana sui memoriam in SS. Misericordia et in Sacra missa?*

19.

R Esp. Non videri offerentes contentos esse quotidiana solum in Sacrificiis, quotidie legi solitis, eorum memoriam. Nam in dubio presumi debet communis intentio offerentium Stipendia pro Sacris, & non extraordinaria aliqua, & specialis. Sed communis intentio offerentium Stipendia, est, ut non contenti sint tantum memoriam in Sacris quotidianis, sed sibi, aut iis, pro quibus Sacra legi curant, applicari volunt totum Sacrificii fructum, cuius capaces sunt: igitur nisi expresse constet de particulari mente Stipendia offerentium, presumi debent, quod petant sibi applicari totum Sacrificium, pro quo dant Stipendum. Et hoc etiam intelligendum est de iis, qui alium finem in petitione sua non exprimunt, quam ut in honorem B. V. legatur Sacrum; nemo enim in hac vita ita pure censetur amare DEUM, & Sanctos, ut non seipsum simul constitutus pro fine cui utilitatis. Præterea in aliud non consenserunt, nisi in id, de quo moniti fuerunt a Parocho: non fuere autem moniti a Parocho, quod eorum duntaxat memoria esset facienda in Sacris, sed, ut liquet ex Specie Facti supra Num. 4. circa fin. Parochus monendo clare supponit, aliquando lectum iri Sacra, pro quibus Stipendia porrigitur. Aliud dicendum esset, si pecunia oblata fuisse doni liberalis nomine, & non Stipendii; tunc enim sufficeret commemoratio quotidiana offerentium tanquam benefactorum. Legi igitur tot Sacra debebunt, pro quo Sacris oblatum est Stipendum: & quia forte diu nimis differetur Executio hujus obligationis, hinc per quotidiam in Sacris memoriam eorum, qui pro Sacris dederunt Stipendia, compensanda erit Dilatio.

## QUÆRITUR IV.

*An omnino singulorum Stipendia offerentium mens circa Dilationem Sacrorum sit exquirenda: & quid de intentione eorum sentiendum, qui jam obtulerunt, antequam populus fuit monitus de modo satisfaciendi obligationibus Missarum?*

20.

R Esp. Ad Iam Quæsti partem, sufficere, si major pars circa Dilationem explicit

suam mentem; quia de singulis haberi consensus non potest, & ut communis regula habet, omnibus censentur nota, quæ vulgo sunt nota. Cum igitur aliquoties tum privatim, tum publicè intimatum, ac intimandum peregrinibus sit, quo modo possit, ac soleat satisfieri corundem petitio- ni, presumi potest intentio singulorum esse, quæ est potioris partis. Confirmari hoc ipsum etiam potest à paritate cum legibus, quæ omnes obligant, etiamsi non omnibus in particulari sint intimatae. Ad alteram Quæsti partem standum Responso, quod ad Quæstum primum deditus. Male factum est, quod tot acceptata sint pro Sacris Stipendia, & non commoniti offerentes statim initio, quod intentioni ipsorum satisfieri non possit, nisi post longum tempus. Satisfaciendum igitur eorum, qui ante Declarationem factam obtulerunt Stipendia, intentioni, quamprimum potest. Poterit tamen juxta benignam interpretationem intentionis, quam in Responione ad Quæst. I. deditus, arbitrio Ordinarii etiam respectu horum concedi aliqua mora longior, non tamen, ut jam semel monuimus, integri faculti; quia, ut Gobat advertit, nemo censetur consentire in tam longam Dilationem debiti.


## QUÆRITUR V.

*Utrum presumi possit, hanc eandem esse intentionem omnium, & singulorum, cum ipsis facile constare possit, Missas constitutas ob tantum earum numerum in dies crescentem, in longissimum tempus diffiri debere?*

R Esp. Prudenter presumi posse, hanc mentem singulorum esse offerentium in circumstantiis in Specie Facti expressis, ut scilicet contenti velint esse, si pro Stipendio à se dato legatur Sacrum ordine temporis, quo Stipendia obtulerunt, modo non differatur Executio ad tempus longissimum, modo supra dicto. Iterum excipiuntur specialiter in necessitate constituti. Ratio est de prioribus: quia sci- re facile possunt, desideriis suis in tanto numero tam brevi satisfieri non posse. Igitur cum tamen Stipendia offerant, vi- dentur consentire in Dilationem Executio- nis, modo servetur ordo temporis inter offerentes, & secundum hunc satis- fiat eorum desideriis.

21.

QUÆ-



## QUÆRITUR VI.

*An Clerici constitutas Missas ultra modicum tempus; vel (sicut aliqui Autores interpretantur) bimestre differentes censeantur contrahere aliquem reatum culpa?*

22. **R**ESP. Affirmative: & quidem si absque Causa legitima istud faciant, peccant mortaliter.

Ita Tambur. method. celebr. Miss. l. 3. c. 1. de Stipend. §. 9. n. 7. Citans pro se Fagund. Bonac. assentit de Lug. de Euch. d. 21. f. 2. n. 45. aliquis March. cit. estque communis TT. Sententia, inter quos Gobat advertit, vix ullum fuisse ausum progredi ultra duos, vel tres menses.

Ratio est: quia celebratio Missæ pro Stipendio se habet, ut solutio pro debito; utrumque enim habet obligationem justitiae. Sed qui nulla causa legitima excusante solvere diu differt alia debita, juxta communem peccat mortaliter: ergo etiam sic peccat Clericus ultra tempus diu differens Celebrationem Missæ pro accepto Stipendio. Accedit,

ut benè Tambur. loc. cit. advertit, damnum, quod differens affert seu animæ purganti, si pro defuncto legenda sit Missa, sive cuicunque fideli, si ad grave damnum illi depellendum, & magnum bonum impetrandum sit legenda Missa. Ex quo consequens est, sic differentem teneri ad Restitutionem. Dubium est, quantum restituī debeat; nam duplex in Dilatione ista committitur injustitia, una, quod Stipendium injuste detineatur; alterum, quod fraudetur alter fructu per celebrationem Missæ petito.

Videri potest Gobat, & quem ipse citat, Pellizarius.

Interim probabilis, & in praxi tuta sententia est Tamburini loc. cit. sufficere, si restituatur Stipendium; nam ad hujus, & non ad damni ex privatione Missæ consecuti Restitutionem videntur obligare fideles offerentes Stipendia. Adde, quod imprestitio sit bonum spirituale, adeoque sub pretium temporaliter cadere nequeat. Dicitur in Responso, si diu, & absque legitima causa differatur; nam ut in aliis debitis, ita etiam in hac obligatione, ordinarie saltem admittenda est parvitas. Sed quanta illa? Dicendum, nulla determinata temporis quantitate definitri illam universaliter posse, sed desumendam ex circumstantiis, ex necessitate scilicet maiore, vel minore petentium, ex majore, vel

minore damno temporali, vel spirituali &c. juxta quas circumstantias major, vel minor à postulantibus Missas celeritas requiritur.

## QUÆRITUR VII.

*An Missæ constitutæ, si in gratioso loco absolví nequeant, in tertio loco, ubi ubi fuerit opportunum, legi possint, vel debeant?*

RESP. Si Missæ constitutæ, stante hac Sacerdotum paucitate, vel omnino in gratioso loco legi nequeant, vel non nisi post longissimum tempus, tum nisi præsumi offerentes Stipendia possint consensisse in Dilatationem temporis tanti, constituendos esse plures Sacerdotes, ut citius fiat obligationis solutio; aut si circumstantia loci, vel quia habitatatio plures non patitur, vel quia ad magnum itineris spatium acciri deberent, hoc non permittant, procedente Ordinarii consensu, legenda esse Sacrificia suscepta alibi; quia quisque præsumi debet malle partem, ubi totum haberi non potest. Hinc iterum sequitur, male factum fuisse, quod tot susceppta sint Stipendia, antequam de Consensu in Dilatationem temporis ex Stipendia offerentibus rite constaret. Si vero infra decennium saltem, vel aliud simile tempus ab Ordinario constitutum absoluvi obligatio possit, tunc quia, ut ad Quest. I. respondimus, ad istud tempus prudenter præsumi potest consensus offerentium, non specialem necessitatem habentium; idcirco non erit necesse Sacrificia legenda distribui per alia loca, sed legi debent in ipso gratioso loco. Patet ex communi sententia docentium, si quis constituerit Missam legendam in certo Altari, teneri Sacerdotem, qui Stipendium pro ea accepit, sub mortali, ut legat in eo Altari. Ut igitur Sacra constituta in loco gratioso, legi in alio loco possint, opus erit Consensu offerentium Stipendia; horum enim intentio videtur eō maxime tendere, ut in loco gratioso fiat Sacrum, & sic ipsi plurium gratiarum fiant participes: quo solatio carerent, si Sacrum legeretur alibi. Videntur igitur dare Stipendia non tantum, ut Sacrum legatur ubilibet, sed etiam sub conditione hac onerosa, ut legatur in tali loco. Unde potius non acceptandum est Stipendium, si intentioni huic satisficeri non possit, vel saltem de rei impossibilitate edocendi offerentes.

23.



QUÆ-

## QUÆRITUR VIII.

*An pecunia pro anno censu ha-  
cetenus elocata relui, & Missæ respondentes  
quamprimum celebranda sint? Item an  
celebrantibus integrum Stipendium, non  
nunquam solitò pinguius, exsolvendum  
sit; vel utrum aliqua pars in Ecclesiæ Mi-  
nistros, Pœnitentiarios, & utilitatem  
Fabricæ applicari possit?*

24. **R**esp. Spectato Jure communi, quo pro-  
hibentur acceptari intentiones, si satis-  
fieri non possit, & præscindendo à circum-  
stantiis hujus specialis Casus, infallibiliter er-  
râsse Parochum elocando eas pecunias, &  
consequenter eas debere relui, & quidem  
præcipue illas, quas in Stipendia contulerunt  
offerentes primi, antequam morerentur de  
modo, & tempore, quo Sacra constituta le-  
gi possunt, & solent. Quia tamen ex beni-  
gna illa interpretatione, qua juxta Rationem  
*ad 1. Quæs.* primi hi offerentes, spectato afflu-  
xu offerentium, præsumi possunt fuisse ejus-  
dem intentionis cum posterius offerentibus,  
idcirco etiam illi, accidente maximè Ordinarii  
interpretatione, judicari possunt con-  
tentii esse, modo eorum intentionibus intra  
decennium, vel aliud simile tempus ab Ordinario  
determinandum satisfiat: & hoc si fiat,  
prudenter etiam credi possunt, nolle relutio-  
nem Stipendi pro censu jam elocati; quia  
aliis modis, quam per relutionem sic satis-  
fieri potest, si scilicet ex Stipendiis recens  
oblatis, & ex censu anno solvantur obli-  
gationes semper, quæ antiquiores sunt. Ita  
rum, ut semper alias, exceptos volumus offe-  
rentes Stipendia pro speciali sua, & aliorum,  
pro quibus Sacra curant, necessitate; qui, ut  
sæpe dictum, ceteris præferri debent, ne ad  
tempus inutile Executio differatur, salvo ite-  
rum aliorum jure. Quod additur de Sti-  
pendio, num integrum dandum sit celebran-  
tibus, si hoc sit justo majus, respondendum de  
Jure communi est affirmative; hoc enim  
expressè præcipitur in Decreto sæpe citato.  
Accedit Declaratio S. Congregationis super  
idem Decretum, qua *Respons. ad Quæs. 7.* de-  
cernitur, non esse permittendum, ut Ecclesiæ,  
vel loca pia, aut illorum Administrato-  
res ex Eleemosynis Missarum celebrandarum  
ullam, utcunque minimam portionem retine-  
ant ratione expensarum, quas habent in ce-  
lebratione Missarum, nisi cum Ecclesiæ, &  
loca pia alios non habeant redditus, quos in  
usum earundem expensarum erogare licet  
possint: & tunc concedit S. Congregatio,  
ut portio aliqua Stipendiis retineatur, sed quæ  
nullatenus excedat valorem expensarum, quæ  
pro ipsomet Missæ Sacrificio necessario sunt  
subeundæ. Unde multò minus licebit ex-

cessum impendere in Ministros Ecclesiæ,  
Pœnitentiarios, Fabricam &c. Addit tamen

Tambur. *I. cit. §. 5. de Stipend. n. 12.*  
Triplicem Exceptionem. 1. Si alicubi De-  
cretum hoc non sit acceptatum; quæ est  
communis doctrina in legibus positivis. 2.  
Si excessus datus fuit alio, quam Missæ intui-  
tu. 3. Si Sacerdos, cui Missa celebranda  
committitur, sit expressè contentus modica  
parte; potest enim mihi, à quo Missa illi mei  
loco legenda committitur, donare, & remit-  
tere integrum Stipendium; igitur & partem  
Stipendi. In nostro Casu Quæstio deciden-  
da est ex Interpretatione intentionis, quam  
offerentes Stipendia pinguiora quoad ex-  
cessum habere profumi possunt. Dicen-  
dum, in hoc casu consideratis circumstantiis,  
novitate peregrinationis institutæ, ubi multa  
paranda, & in meliorem statum reducenda  
sunt; præsertim spectata formulæ, qua juxta  
Speciem Facti datam, intentionem suam Sti-  
pendia offerentes dicuntur exprimere, meri-  
to præsumi posse, quod offerentes excessum  
istum non dent solummodo Missæ intuitu,  
sed maximè ad promovandam peregrinatio-  
nem tanquam donum liberale B. V. obla-  
tum: impendi proinde excessus poterit in  
Ecclesiæ illius Ministros alendos, maximè  
verò in fabricam. Non tamen ita minuen-  
da essent Stipendia, ut non detur Sacrifican-  
tibus plus, quam sit ordinarium; cum enim  
juxta taxam Diœcesis Stipendium sit exiguum,  
fideles offerendo Stipendium majus, &  
pinguius, videntur partialiter etiam relevare  
vele paupertatem Sacerdotum occupatorum  
in Missis legendis in loco hoc gratioso. In  
arbitrio ergo Ordinarii erit determinare,  
quantum pro Fabrica, & aliis ex pinguiori  
Stipendio retineri possit.

## QUÆRITUR IX.

*An peregrinantes ex cancellis  
quotidie edoceri debeant, qualiter oblatæ  
Stipendia hacenus applicata fuerint,  
& etiamnum applicentur?*

25. **R**esp. Sufficere, si dum Stipendia peregrini  
offerunt, & eorum in libro ad id desti-  
nato notantur nomina, moneantur, intentio-  
ni ipsorum certò satisfactum iri, sed ordine  
temporis, quo data sunt Stipendia, & exce-  
ptis speciale necessestam prætententibus.  
Sic enim, cum ipsimet sciant, plurima offerri  
Stipendia, nec omnia tam brevi tempore in  
loco gratioso legi posse, jam consentient in  
Dilationem ad tempus, quo ipsos ordo dati  
Stipendi tangit, modo, ut sæpe monimus,  
Executio non differatur ad tempus longissi-  
mum. Excipe, nisi & in hoc quoque mo-  
niti consentirent; nam volenti, & con-  
sentiens non sit injuria.

QUÆ.

## Q U Ä R I T U R X.

*Cùm verò hoc singuli audire non possint, minùs singuli desuper edoceri, an in patenti scriptura hoc ad Ecclesie valvas, vel gazophylactum affigi debeat?*

26.

R E s p. Non esse istud determinatè necessearium; quia plura sunt alia media. Satisfacturos tamen suscipientes Stipendia magis conscientiæ sua, si in majoribus solennitatibus populus de modo, quo petitio- ni ipsorum offerentium Stipendia satisficeri solet, publicè moneatur. Imò ut ad no- titiam omnium pervenire hoc possit, cu- randum omnino, ut ab Ordinario fiat bre- vis Declaratio, quomodo, & qua intentio- ne legantur Sacra, hæcque in Programmate descripta publicè affigatur ad valvas Eccle- sia. Quod si fideles sic edocēti offerant ta- men Stipendia, acceptari poterunt sine me- tu secuturarum tot perplexitatum,

ut in simili recte docet P. Gobat. Tom.

1. experiment. trad. 3. num. 598. & 599.

imò hac subinde Declaratione facta, & pro- mulgata, posset is, qui pecunias oblatas an- notat, uno verbo à singulis offerentibus quæ- rere, num consentiant in programma? qui- bus assentientibus, Stipendia oblate accipe- ret, noalentibus non acciperet.

Post Responsionem ad Quæsita nobis pro- posita, tria alia in commune consulentibus o- ccurserunt.

DUBIUM 1. An non Parochus absque li- centia Ordinarii suscipiendo onus Missarum perpetuum incurrerit Interdictum ab Eccle- sia? Resp. Excusari posse per solam bonam

fidem: alias certa est affirmativa post De- cretum sàpè citatum, quod suscipientibus onera Missarum perpetua absque licentia Su- perioris, Secularibus quidem in poenam in- terdicit ab ingressu Ecclesiæ; Regularibus verò infligit poenam privationis omnium Of- ficiarum, quæ tunc obtinent, & inhabili- tatis ad alia de cæteris obtainenda, vocisque active & passivæ, & hoc absque alia De- claratione ipso facto.

DUBIUM 2. Utrum statim legi debeant Sacra constituta pro specialiter necessitatem habentibus? Resp. Affirmative, nisi hoc cedat in præjudicium ceterorum offerentium; nam fieri posset, ut pro specialiter necessi- tatem habentibus tot offerentur Stipendia, ut cetera Sacra petita sub intentione communi differri deberent ultra tempus, quod ex intentione Stipendia offerentium presumi potest: quo casu non essent acceptandæ novæ obligationes, dum debito tempore sa- tisfactum fuerit obligationibus antiquioribus.

DUBIUM 3. Quo remedio occurri in- posterum possit, ut pro specialiter necessi- tatem habentibus Sacra maturari possint, & tamen interea eorum, qui cum intentione communi obtulerunt Stipendia, petitio non diu differri? Resp. Consultissimum fore, si qualibet hebdomada legeretur certus Sa- crorum numerus, e. g. septem vel plura, pro ijs, qui cum intentione communi obtule- runt Stipendia; speciales verò intentiones pro necessitatem habentibus non accepta- rentur plures, quam salvo illo priore nu- mero debito tempore exsolvi possent.

Hæc nostra supra Casum nobis proposi- tum Sententia fuit, qua salvam omnino vo- lulum opinionem sentientium meliora.

28.

29.

## C O N S I L I U M XI.

### D e obligatione Primissarii ad applican- das Missas pro Fundatore.

## S U M M A R I U M.

*Proponitur Facti Species.*

1. Triplic est fructus Missa, universalis, spe- cialis, & specialissimus.
2. An Beneficiarius iis diebus, quibus Missam dicere vi Officii, Beneficii, vel Fundationis debet, teneatur illam applicare ad intentio- nem Fundatoris?
3. Adducuntur Fundamenta affirmantium.
4. Deciditur pro parte negativa.
5. Refelluntur opposita.
6. An Beneficiati pro Sacrificio, quod vi Fun- dationis non tenentur applicare Fundatori, si illud alii applicant, ab hoc Stipendum pos- sint accipere? Fundamenta sententia negan- tis.
7. Respondetur affirmative.
8. Solvuntur contraria.
9. Teneret Beneficiarius aliquoties per annum pro Fundatore ex gratitudine sacrificare, & sapient in Sacris suis illius, tanquam Bene- factoris, specialiter meminisse.
10. Seqq. Declarationes & Restrictiones anti- quæ obligationis ita debent intelligi, ut non imponatur novum onus.

## FACTI